

GOTHANAE,
ATQVE
EVANGELICAE ECCLE-
SIAE VNIVERSAE

XVI.

TRIA SVPERIORIS SECVLI LVMINA PRIORA,
SVPREMI PATRIORVM SACRORVM ANTISTITES,
BALTHASAR GVALTHERVS,
SALOMO GLASSIVS,
IO. CHRISTIANVS GOTTERVS,

cum studiis, factis, meritis, & fatis,
ad explenda iusta solennium secularium

SCHOLAE ILLVSTRIS, cuius EPHORI fuerunt,
incipiente lustratione *prima* post conditum seculum *alterum*,

coram panegyri representabuntur sermonibus Latinis,

in auditorio CLASSIS I. hora VII. ante meridiem
III. KAL. AVGUSTI, cibis 1500 XXV.

a

CLASSIS SELECTAE ALVMNIS,
ERNESTO MICHAELE WEIDNER,
GEORGIO THALENSI,

ADOLPHO ANTONIO HAVCKE,

SEEBERGENSI,

IOANNE ANDREA WEBER,

GOTHANO:

ad quos audiendos

ILLVSTRIS GYMNASII PATRONOS, ET FAVORITES

obseruantissime inuitat RECTOR,

GOTHOFREDVS VOCKERODT.

GOTHAE, LITTERIS REYHERIANIS.

Hist. Saxon.

H.

291, 28

1725.

Hist. Sax. eccl. 584.



Ropitum rebus humanis NVMEN, quoties vexatis, laborantibusque fidelium coetibus succurrere, & intercedere periculis maioribus destinauit, in quae coniurata infensorum verbo, & operi diuino manus statuit illos coniicere, obiicit huic idoneos vindices, qui remorari possint, audeantque improba consilia cum suae vitae, fortunaeue discrimine, Iezabeli Iehu, Athaliae puerum Ioasum, Antiochis Machabaeos, Diocletianis Constantinos. Atque his non deesse patitur sapientes, & fideles ministros, Rechabitam, Ionadab, Baaliticae impietatis vltori, Iehu, Ioiadam Ioaso, Iudae *consilii virum*, Simonem, & ne Christiana res, & sancti moris disciplina propugnata vitia-
retur, Constantinis, & Theodosiis Athanasios, & Chrysostomos. Idem contigisse vltimis his temporibus, cum euangelica veritas restituenda esset, & reuocanda ad integritatem pristinam sacra publica, non ita pridem decantatum est inter applausus seculares; grataque mente, & lingua memorata sunt summa SERENISSIMAE SAXONICAE DOMVS merita de re Christiana, & litteraria. Nec tum tacendi fuerunt, quorum opera, & consiliis pii, & religiosi principes adiuti de patria bene meruerunt, & quorum spe-
ctata

Etata est singularis industria, & fides in pietatis, & litterarum officinis, scholis, & academiis constituendis, ornandis, conseruandis. Sicut autem patria haec, & Gothana vrbs, scholaque habuit, & dedit, qui studiis, & consiliis Saxonibus heroibus adessent in re litteraria, & religiosa instauranda, prouehendaque ad eum statum, qui difficulter moueri, conuelliique non facile posse videbatur; certe cum primum conderetur seculum, saluus satis, & incolumis, ab insidiis quidem, & vi non intactus; nondum tamen concussus apparebat: ita, cum ipso seculari plausu prouocata esset hostium impotentia, & ex insidiis conieci essent in latrocinia, qui oppressum ibant veritatem euangelicam, essentque SAXONICI, & ANHALTINI sanguinis principes exoptatissima patriae periclitantis decora, & praesidia, BERNARDI, & ERNESTI, qui non dubitarent, corpora etiam sua opponere rerum inclinationi; & praesertim ERNESTVS PIVS pacis artium ita studiosus, vt na>tus Gothanum patrimonii tractum regendum, quam sustentauerat socia opera, studiis, & opibus libertatem, & sacrorum integritatem vnicce destinaret rectioribus institutis ornare, confirmare, & ad posteros propagare: fuerunt optimo PRINCIPI a consiliis, qui ad perficienda pie destinata paria ingenia, studia, & propositi fidem possent afferre, non ciuilis solum ordinis, & dignitatis viri, Hortlederi, Pruschenckii, Frantzki, Seckendorffii; sed sacrorum etiam antistites, & Gothani praesules, in ipsa Gothana pietatis, & litterarum officina, VVilciana, & VVeitziana fide, & industria ad bene merendum de patria, & euangelicam veritatem tuendam, nec non suis ingenii, doctrinaeque dotibus illustrandam solertissime instituti, in tabulae fronte nominati. Laudari eosdem conuenire videtur maxime inter continuatos plausus, quibus alterum SCHOLAE ILLVSTRIS seculum conditur, & sub ipsam illustrationem producendo talia exempla accendere rectiora

discentium studia, & aemulam alere industriam. Non enim solum discipuli VVilckii, VVeitziique notae melioris fuerunt, & grati, memoresque beneficii, quamdiu vixerunt; sed eiusdem officinae, in qua adoleuerant, studiosissimi, piorumque eius institutorum fautores, & amplificatores, cum dignitas de ea bene merendi ipsis tribuisset facultatem, & autoritatem. B. BALTHASARIS GVALTHERI quam clara fuerunt facta, tam obscura in Gothanis annalibus, a B. Sagittario publicatis, fuit memoria. Subduxerunt eam nostribus beati viri fata vltima, quod euocato Brunsuigam parentatum ibidem est, posterique non ab ipso Gothanorum annalium conditore, B. Sagittario; sed ab iis, qui per texendam historiae Gothanae telam sibi proposuerunt, viris doctissimis, B. Tentzelio, & summe reuerendo Cypriano solicitati sunt ad edenda auitae memoriae documenta, & ostendendum posteris, quam bene de patria, deque re litteraria, & Christiana meruerit B. Gualtherus? Inde crebrior in SVPPLEMENTIS Gothanae historiae B. viri mentio est, eiusque notis, Eberiano Kalendario adscriptis, illustratur istius temporis notitia. Ecclesiasticorum actorum ephemerides, iustae molis volumen sibi subductum, incertum quomodo? queritur Gualterianaे proneptis maritus, plurimum reuerendus ERDMANNVS, primus Augustinianae aedis diaconus, & conqueruntur merito alii domesticae antiquitatis studiosi viri, dolentque isto pacto sublatum, vnde penitus nosci, & spectari in actu rerum arduarum possit BEATVS? Non agitatas, & descriptas ab eo fuisse res leues, & superuacuas, ipsum curriculum functionis, in quod eum tantisper successus armorum Suecicorum cum PIO ERNESTO, legionis victricis praefecto, coniecit, satis aperit. Heripolitana dioecesis belli iure cum aliquandiu teneretur a viatoribus, curias eius PIVS PRINCEPS ERNESTVS, chorum Gothanorum sacrorum praeſul, D. Balthasar Gualtherus, regebat, & de sacris rostris non fine

ne admiratione, & applausu audiebatur euangelicam veritatem populo inculcans. Ista negotiorum moles, & temporum acerbitas non patiebantur virum doctissimum, plurium linguarum peritum, & ad scribendum maxime idoneum cogitare de edendis, relinquendisque posteris ingenii, & doctrinae monumentis. Quae tamen sub eius nomine leguntur, dictus Latine ICTO Hackelmanno sermo panegyricus: qui inter VVittenii vitas locum inuenit: & Gothanae scholae encoenia secularia, Latino, vernaculoque stylo celebrata, satis produnt simile magistri, B. VVilckii: cuius in tertium annum auditor fuit: ingenii lumen, & orationis flumen, nec non eretti animi candorem, non sua magis, quam aliena virtute, & laude delectati, & ad hanc fuse, & curate praedicandam proni. Caussa itaque B. VVilckio fuit, discedentem e suo complexu, & diaeta magistra plenum litteris, & recto proposito Gualtherum Ienensis acadiae professoribus, & genero suo, VVolffio, commendandi impensius, ipsique suffragari ad illos honorum gradus, quos deinde Ienae, Gotha, & Brunsuigae est consecutus. Et B. Gualthero caussa fuit, ex quo datus B. VVilckio erat ephorus, cuius fuerat alumnus adeo dilectus, fauendi magistro, & studendi officinae, in qua ad tantam spem, dignitatemque adolescendi opportune, & indulgentissime fibi concessa fuerat facultas. Quemadmodum id praestiterit, res ipfa locuta est: aucta docentium stipendia, reparata, & ornata auditoria, RECTORIS domicilium altius exstructum, & necessariis contuberniis, & cellulis amplificatum B. VVilckius in seculari oratione clementissimi PATRIS PATRIAEC, IO. CASIMIRI, beneficio, & prouidentiae tribuit; sed ne optimum PRINCIPEM, conuersum ad ornandum Coburgense Lyceum, poeniteret indulgentiae, & desineret fauere scholae Gothanae, B. Gualtherus intercessit, atque, qua valebat apud eundem, gratia, & autoritate impetravit, ut auspicis PRINCIPIS licuerit secularia celebrare Gothanae scho-

Iae encoenia sub finem anni CIC XCIV. postquam mil-
le & quadringentos florenos biennio ante, ipsius sine du-
bio rogatu, addiderat liberalissimus PRINCEPS bis mille
florenis, quos CIC XCIV. tribuerat augendis publicorum ma-
gistrorum stipendiis. Impressum typis monumentum il-
lorum encoeniorum luculentum, & perpetuum apud po-
steros testimonium esse poterit Gothani antistitis in scho-
lam, & paeceptores studii. Videas hic B. Gualtheri publi-
catam tabulam, qua ad solennia publica inuitat suae dioe-
ceseos presbyterium vniuersum: sermonem ad populum
habitum, & huic in fronte adpositum carmen, quo PRIN-
CIPVM NVTRITORVM beneficium praedicatur, idque
Latinum tam sani coloris, ut non temere IL. Gymnasii tunc
secundus magister, IO. VVEITZIVS, in sua seculari oratio-
ne Gualtherum praedicauerit non tantum *Hebraei eloqui*
doctorem nitidissimum, & Musae Graecae antistitem; sed ipsam
Latinae linguae facundiam, cui Venus in numeris, & suavi in
carmine Peitho sessit, aspergens Musaeo cuncta lepore, verba-
que Mopsopio contingens singula melle: in calce autem adie-
ctam paraenesin ad R. presbyterium, qua huic sermo typis
impressus dedicatur. Sequitur B. VVilckii tabula, qua ad
suam, & collegae orationem secularem inuitantur ecclesiae
ministri, nec non praefecture, & ciuitatis Gothanae pro-
ceres: cui VVilckiana de rectoribus Gothanae scholae o-
ratio, & B. VVeitzii SERIES CONRECTORVM Latino
carmine descripta adiunguntur. Accedit ipsius B. Gualthe-
ri clausula, Graeco nomine donata, religiosi voti, & piae
gratulationis plena. Quam in sermone ad populum Go-
thanum vernaculo studeat RECTORI, & quam conci-
liatos illi velit scholarchas ad munus tam arduum recte
obeundum, & tuendam iuuentutis disciplinam, luculentus
huius argumenti locus testatur; nec sermonem claudit, an-
tequam conceptis verbis gratiam, & auxilium diuinum ex-
petiit ad implendum paeceptum dominicum de iuuentu-
te

te in scholas excipienda, & ad Christum solerter, & fideliter
ducenda. Adeo abhorruit vir BEATVS a relinquendo suae
barbarae licentiae populo futuro , iuuentute cuiuscunque
fortis , & intercludenda schola publica tenuioribus, & mi-
nus fortunatis. Qua doctissimum VVeitzium complexus
sit caritate, prohibueritque, ne ei, & collegis, ipsique discipli-
nae scholasticae Gothanae aegre fieret , ex MSo volumine
actorum Ratichianorum constat , quod denuo mecum pro
humanitate sua communicauit SRDS Cyprianus. Erant,
qui tum cum vitiatis scholarum institutis vetusta omnia
damnabant, quamuis recta, atque haec proscriptum ibant
cum docentium inertia, ut veri, rectique studiosis viris con-
flictandum esset corruptis vulgi, & potentiorum de re scho-
lastica iudiciis. B. aurem VVeitzius cum in seculari car-
mine laudato vere de se, & collegis praedicare potuisset, se
in illustri schola Gothana pro parte virili munere suo fun-
gi, discentium animos accendere, totumque in eo esse, ut
schola incrementum capiat, & huius celebritate patria, &
hospita vrbs, Gotha, illustretur: conscius ephorus, B.
Gualtherus, scholasticae integritatis Gothanae, idoneusque
aestimator, & arbiter, vbi recte, vel secus res scholastica ad-
ministraretur, vtpote imbutus ipse in eadem officina rectis,
& solidis litterarum & artium fundamentis, frustra solicita-
tus est autoritate, quamvis magna, PRINCIPIS ANHALTI-
NAE, ANNAE SOPHIAE, Ratichii patronae, ad nouan-
dam rem scholasticam, & veteranis paeceptoribus obtru-
denda instituta nouata. Quae in laudato volumine MSto
seruantur de ea re scriptae epistolae B. Gualtheri non minus,
quam B. Matthiae Hoe de Hoenegk, quibus respondent
piae, & veri, rectique studiosissimae PRINCIPI, Ratichiana
solicite commendanti, docent, quam admirabili tempera-
mento vfi sint hi summi theologi in consultatione de re
scholastica recte constituenda, & quam solerter cauerint, ne
sua, principumque autoritate abuti quis posset ad vetusta in-
stituta

stitutā temere nouanda, & rectiora noua, vbi his opus es-
set, protinus repudianda pro vitiatis vetustis: et quam cor-
di illi fuerit, vt suo VVilckio, & VVeitzio, officio rite fun-
ētis, salua esset autoritas? Ea patrocinia, praecipue autem
conscientia rerum recte in schola actarum, & fiducia rectio-
rum studiorum, tam constantem in proposito reddiderat B.
VVeitzium, vt post abitum, & breui ante obitum patroni,
B. Gualtheri, anno videlicet CIC 10C XXXIX cordate responde-
ret, cum magna autoritate pro Ratichianis Comeniana de-
nuo commendarentur: *Quae cum tuis affeclis per varios casus,*
per tot discrimina rerum vis in Comenio inculcari, illa via com-
pendiariæ in nostris scholis ita exercentur, ut ambagibus tam pha-
leratis, & flexibus Labyrintheis nullo modo sit opus: postmodum
sic ad usum transferuntur, ut per filum, & ductum autoris a
discipulis exprimantur, atque in succum conuertantur, & sanguineum. *Vultis vos selecta duntaxat ingenia? laudo. Utinam & nos*
talia haberemus omnia. Sed in hac rerum perturbatione tardio-
res quoque tolerare cogimur; atque illi, vbi naturam expugna-
runt diligentia, saepenumero euadunt doctissimi, uti exemplis id
poterat demonstrari. Vide Heyderi POLITICA pag. 135. In
nostris scholis docemus sacra, tradamus Graeca, inculcamus La-
tina tali cum industria, & dexteritate, ut persuasum habeamus,
nos legibus, quae ab ILLVSTRISSIMO PRINCIPE, IO. CA-
SIMIRO, sunt latae, atque a viris summis approbatae, satisfa-
cere. Vestra pleraque omnia ita sunt comparata, ut priuatis sal-
tem in scholis; non autem exerceri in publicis possint: nisi vasti-
tatem classium subselliis adferre, aut omnimodam dissipationem
velimus. Disciplinam moderatam cum pietatis, et doctrinae in-
stillatione pariter adhibemus: neque Empusas modo cum baculo
minabundo refractarius praestituimus. Wenn man recht soll pro-
cediren, so muss alles ein durchgaengich Werck seyn, dass es nicht
heisse: hic ars nostra iacet, & iacet, und gehe alles auf ein lami
aus: & sic miserum in modum spe saltim magnates lactentur ina-
ni, immensique sumtus abeant in ventos. Integrā epistolam
cum

cum carmine MSo, BEATI viri domesticum, ex quo emer-
tus fuit, statum aperiente: quod ex successoris, B. Reyheri,
monumentis MSis non ita pridem rogatus communicaui
cum eximiae indolis VVeitziano pronepote, Georgio Caro-
lo Herrio, Palaeobyrgico, auitae virtutis, & industriae aemu-
lo: hic vulgabit, & simul patroni proaui sui, B. Gualtheri,
memoriam, & merita de re litteraria, & scholaistica Gothana
pro viribus illustrabit. Cui officio non deerunt Gual-
theriani posteri, non Strobelii tantum; sed & solidae litte-
raturae studiosi Cothenii, quorum natu maximus apud
Geneuenses claret, FRIDERICIANO beneficio vtens in col-
ligenda, & ornanda suis ingenii, & doctrinae dotibus euan-
gelica ecclesia: nec non Erdmanni, & horum propago, PLV-
RIMVM REVERENDI Hunii, mystae palatini, filii, si, quod
ex animo precor, indoli paeclarae responderit industria,
& paternae affiditatis aemulatio. Nec defuit doctissimus,
& in patriae historia versatissimus VValtershusanae ciuita-
tis consul, Iunckerus, qui illico manum iniecit excutiendae,
& describendae Gualtherorum memoriae, & Balthasaris
praecipue laudibus persequendis, ex quo audiuit, suis ma-
ioribus cognatae filiae consulis Friderichrodani, Hoffman-
ni, & Trubenbachiae maritum, D. Gualtherum, publice
laudatum iri, communicauitque mecum humaniter, quae
festinante quidem calamo; sed diligenter tamen, & docte de
Gualtheris conscripsit, vt typis impressa vulgari mereantur,
additque, quod a Ludouico Fidlero, Gualtherianae lau-
dis studioſo viro sacerdote, sex linguis, typis Brunsvigae
CIC CXL. sub IALEMI statuae nomine, ad honestandam
BEATI viri, eiusque linguarum peritiae memoriam est ex-
scriptum. Ita in lucem, qua temporum iniuriaruerunt,
reponentur, &, qua dignissima sunt, consequentur celebri-
tatem B. Balthasaris Gualtheri merita. Ad quae extollen-
da dum primo oratori documenta deerant, statuit Baltha-
sarem cum Michaele VValthero, paullo post florente, & de
Bibliis Ernestinis, nec non de Balthasaris successoris, B. Glas-

• 114
sii, memoria, quam habita, vulgataque parentatione honestauit, praecclare merito comparare, & vtriusque laudes publice decantare. Bonum factum tamen, & Gothanae scholae non modo; sed & ecclesiae auspicatissimum, quod VVeitzio Reyherus, Gualthero Glassius successor contigit. Facesebant ab illustri schola, qui emendandi nomine, & specie nouare, vel turbare probatissima instituta sategerant, ex quo RECTOR illi datus est B. Reyherus, ea scholasticae eruditionis, & dexteritatis opinione, & fama, vt antequam ab ERNESTO PIO B. VVeitzio, DIRECTORIS nomine, & dignitate honestato adiungeretur, & postquam illo defuncto cum B. Hesso, & SELECTAE CLASSIS nouis professoribus, Hanckio, & Rosenbergio, rem scholasticam rite, & ad praescriptum summorum, & litteratissimorum virorum, quibus PIVS PRINCEPS istud demandauerat negotium, tanquam non ultimum supremarum curiarum, procurauerat, florueratque successibus inculcando recta, solida, & explorata linguarum, & artium, cum sacris litteris, & pietatis studiis coniungenda fundamenta: certatim in cathedras alias, scholasticas, & academicas, expetitus fit, impleantque documenta MSa, quibus alio vocatus, vel postulatus est, integrum iustae molis volumen. Sicut autem Gualtherus, antequam Brunsuigam secederet: quod ante diuisum inter fratres patrimonium, & assignatam PIO ERNESTO Gotham accidit; nec accidisset forsan, si citius PIVS PRINCEPS patriae pater factus esset: Hesso, Reyheri collegae, & successori autor, & suffragator fuerat adeundi munera scholastici, cum sacerdotio destinatus esset, & ei pene immineret: ita Reyhero praecipue fauebat cum religioso, & sancti propositi tenacissimo sacrorum palatinarum antistite, Brunchorstio, Glassius. Vtriusque MSae ad Reyherum litterae testantur illius curam paternam, huius affectum amicum: vt non ad virum scholasticum, tantorum munera dignitati obnoxium; sed ad aequalem scriptae videantur: qui animi candor dominatur maxime in dubiis

XLVI.

abus epistolis, quibus Glassius Reyhero ex sorore nepotem,
& explorandum, qui Ichtershusanae scholae moderator fie-
ri voluerat, commendat. Et talis notae certe esse oporten-
tbat, qui PII PRINCIPIS destinata perficere volebant, & ad
hoc prouidentissime erant delecti. Ita coniunctis animis,
studiis, consiliisque facile, quae per longi Germanici belli
tempora passim inualuerat, barbaries, & inertia, profligaban-
tur, & Gothana res scholastica, au&ta, & amplificata PII
PRINCIPIS liberalitate, & prouidentia singulari non minus,
quam res ecclesiastica ditionis vniuersae mirifice efflo-
reseebat, adiuta maxime, & illustrata egregie edito BIBLIO-
RVM ERNESTINORVM codice, qui a Glassii ingenio, &
industria vltimam accepit manum, cum particulatim ope-
ras suas dudum contulisset Sondershusae adhuc agens: quo
eum SERENISSIMORVM PRINCIPVM SCHVVARTZ-
BVRGICORVM maiores illustrissimi, tanquam ciuem su-
um, ad praefecturam sacrorum euocauerant ab Hebraeae,
Graecaeque linguae professione, quam Ienae pro Balthasare
Gualthero ornandam susceperat; sed remiserunt tamen, ex
quo illa academia theologo opus habebat, defuncto Ioanne
Gerhardo, qui huius genuinus fuisset alumnus, & aemula-
ri posset virtutem, & fidem in tuenda veritatis euangelicae
integritate, eademque ornanda emendati moris, sanctique
propositi exemplo. Talis cum visus non solum esset SALO-
MO GLASSIVS; sed spectatus exploratis inculpatae vitae
documentis, cum non diu Ienae spartam, quam B. Gerhar-
dus vacuam fecerat, cum applausu obiisset: placuit PTO
PRINCIPI eum studiis suis adiungere, dum ad perficienda
pia destinata neminem magis idoneum reperiebat, Gualthe-
ro interim Brunsuigae pie defuncto; Hortlederique, & hu-
ius generi, Pruschenckii, consilio, studioque obtinuit, vt ex
Ienensi cathedra traduci se pateretur in praecipuam tunc
EVANGELICAE ECCLESIAE speculam, sacramque cu-
riam PII ERNESTI, PRINCIPIS nati, diuinoque insti&tutu,
cum conflictata res euangelica insidiis, & corruptelis vindi-

ce opus haberet, & atlante, quasi excitati ad tuendam, ornandamque piis institutis veritatem, quam maiores cum vitae etiam, & fortunarum periculo suscepserant propugnandam. Ideo denuo succedit Gualthero Glassius, & cum Brunchorstio, Reyheroque PII PRINCIPIS vota implet, ILLVSTRIS primum Gymnasii Gothani curricula omnia recte, & pie constituendo. In hoc enim totus erat PIVS ERNESTVS, non temere ratus, si res euangelica cum successu ornari, & emendari debeat, exemplo potius, quam legibus, & vulgatis bonis consiliis, piisque desideriis rem essentandam, & adgraduendam. Opportunum itaque nactus erat administrum laudatissimi instituti, Glassium, cuius doctrinae, & propositi integritas ex editis ingenii, scientiaeque speciminibus, cum summo applausu euangelicorum non solum coetuum, & antistitum; sed orbis CHRISTIANI vniuersi exceptis, ita spectata, probataque erat, vt suspicionem finistram, & liuorem, perpetua mala in pulcris conatibus, excluderent, nec PIO PRINCIPI cum ratione obiici posset nouandae rei Christianae studium, vel facrorum publicorum mutandorum ausus insolitus, & semper inuidiosus. Ita Glassius non pueris solum explicatoria pietatis praecepta, quae Euenius, scholasticae rei consiliarius Ernestinus, & BIBLIORVM illustratorum suasor, & adiutor praecipuus, proponenda statuerat, inculcari passus est; sed adolescentibus ipse pensa, quae Hutterus, Glassii per anni spatium praceptor, vt plurimum verbis librorum symbolicorum, in usum scholarum euangelicarum in compendium redegerat, in tria curricula distincta, & suis notis illustrata, noscenda, & ediscenda proposuit. Animaduerterat VIR BEATVS, & in memorata epistola MSa, qua nepotem ex sorore Reyhero commendat, conqueritur, in scholis euangelicis, vbi Hutteri compendium locum habet, sacra haec, quae *unum necessarium* appellat, perfunditorie tractari; atque ideo suspicatur, nouitium alumnus, in tali schola institutum, rudem, & horum facrorum expertem a rectore deprehensum iri. Statuit itaque has in scho-

schola Gothana partes sibi ipsi depositare, & alumnos aetate prouectiores
 docere ad Hutteri praescriptum symbolica euangelicae veritatis fundamen-
 ta; eadem inculcanda iunioribus commendare RECTORI, CORRECTO-
 RI, & TERTIAE CLASSIS praeceptoribus: atque cuique curriculo assigna-
 ta ad ediscendum quotannis pensa designare maioribus, minoribus, minimis
 typis litterarum. Cuius formae cum exscribendum dedisset Hutteriani com-
 pendii, suis notis illustrati, exemplum Reyherianis typis: quibus tunc Schallius
 praeerat: cum reliquis in usum iuuentutis scholasticae communi, & Reyheri
 nomine editis libellis: exemplum rectae, & religiosae institutionis scholasti-
 cae Ernestinae publicata illa instrumenta fuerunt, & passim a vicinis, & exte-
 ris, ipsisque Russis omni applausu excepti sunt, qui edebantur, Brunchorstio,
 Glassio, & Reyhero autoribus, libelli catechetici, grammatici, rhetorici,
 philosophici, historicique; quotquot auspiciis PII ERNESTI, in usum Go-
 thani Gymnasii, & scholarum ditionis Gothanae, vulgatos esse, frons, titu-
 lusque profitebatur. Delectatus optimus PRINCEPS successibus pii institu-
 ti maiora animo agitauit, quibus euangelica veritas, pietasque conseruare-
 tur, propagareturque ad posteros, & exterros; praesertim cum ad honorata
 illius ministeria accederent, qui linguarum, & locorum peritia, qualis in Lu-
 dolfis apparuit, tentanda cum exteris commercia possent adiuuare. Qui-
 bus piis destinatis perficiendis quamvis tempora obstiterint, & administro-
 rum penuria; atque perdit videantur sumtus impensi ad constituendum euan-
 gelicorum theologorum collegium, cuius autoritate intestina vulnera sana-
 rentur, & intercederetur grauioribus offenditionibus: quale B. Hunnius sua-
 ferat: ad quaerenda cum Aethiopibus, & Russis religiosa commercia: ad
 solanda orbitatis damna, & fortunae naufragia, condenda orphanotrophea,
 & ergastula: post fata tamen PII PRINCIPIS a piorum ministrorum filiis,
 ipsisque SERENISSIMIS posteris, qui perfici Ernestina pia instituta ani-
 maduertunt, & ad Indos, & Russos propagari: qui audiunt, in usum totius
 orientis Malabarice, & Arabice sacros diuini verbi codices exscribi: qui-
 que vident, FRIDERICIANIS auspiciis in hac regia vrbe orbos pie educari,
 maleferiatos custodiri, atque ad operas publicas adhiberi, cogique: si ciues
 fuerint non mali, agnoscent, non irrita fuisse, & superuacua maiora destina-
 ta Ernestina, nec sine honore, & laude memorandos esse primos religiosi in-
 stituti ministros fideles, Glassium cum Brunchorstio, & Reyhero, Ludol-
 phisque, qui pium PRINCIPIS propositum si non excitarunt; adiuuerunt
 tamen, & confirmarunt. Certe Glassii scripta praeter PHILOLOGIAM
 SACRAM, toties in ciuum, exterorumque usum exscribendo typis repetitam,
 adhuc desideratissima esse, celebris Musei philologici, exercitationum, & a-
 nimaduersionum philologicarum, & historicarum scriptor, Thomas Crenius,

adeo non dissimulat, vt quorundam opusculorum Glassianorum caussa,
quae suis fasciculis inserere destinauerat, Gotham litteras scriberet. Non
in posteris extinctum veri, rectique amorem, nepotis Glassii, B. Conradi Kef-
leri, merita de schola illustri, & scripta, pietatis, & recti de rebus iudicii plena,
post huius fata loquuntur. Tanto minus viri memoria obscurari apud nos
potuit; sed post fata eius, sicut saxum, facie D. Glassii figuratum, in praeci-
puo templi Augustiniani loco constitutum, in oculis omnium; ita in voculis,
luce, & celebritate versantur facta, dicta, & scripta Glassiana, decantata a
pluribus viris doctissimis, laudato Michaele Walthero, Spizelio, Frehero,
Wittenio, & Gothanorum annalium conditore diligentissimo, Sagittario, a-
deo vt alteri oratori, qui sua, & commilitonum rectiora studia accendere
Glassianis meritis publice repraesentandis iussus est, non tam laborandum fu-
erit de dicendi materia, quam delectu rerum dicendarum. Idem contigit ter-
tio oratori, qui IOANNEM CHRISTIANVM GOTTERVM eodem nomi-
ne publice laudandum sibi proposuit. Post fata pio Gothanorum huic prae-
fuli accidit, quod PSALMISTA pietatis cultoribus pollicetur: PIORVM
POSTERITATEM FELICEM, & FORTVNATAM ESSE OPORTERE.
Adeo Gotteri posteri flotent ingenii, studiis, dignitatibus, magnatum gra-
tia, & illustribus affinitatibus, spectanturque in honoratis ministeriis, curiis,
sacerdotiis, nec non praefecturis ciuilibus, & ecclesiasticis, vt ornamento-
rum, & opportunitatum huius vitae aliquid addi illis posse non videatur. Quo
pacto cum inter maiores habuisset BEATVS nobiles de Zedewitz, & de Greus-
sen, natus est inter posteros sua virtute, meritisque non minus, quam Caesaris
beneficio nobiles, nobiliumque Francorum, & Thuringicorum generos, ac
nurus. Fata, & ornamenta ista virtuti, & meritis respondisse, id vnum do-
cumento esse poterat, quod Gotterus de PII ERNESTI fuit delectu: cui quam-
uis non defuisse ad munera publica suffragatio summorum theologorum,
Gerhardi, Maioris, Himmelii, Glassii: quos habuerat Ienae praceptores;
nec non Stahlii, cui adhaeserat penitus, operamque in vulgandis scriptis
praestiterat: PIO PRINCIPI tamen, melioris notae theologorum fautori, &
aestimatori solerti, per se cognitus, & dignus iudicatus est ecclesiasticis prae-
fecturis, cum Muhlbergensi sacerdotio, suffragante Erfurtensium antistite,
Io. Kromayero, impetrato, fungeretur, nimirum Wachsenburgica, Ichters-
husana, Tondorfensi, Witzlebensisque dynastiae, nec non Eisfeldensi, ac
tandem post Glassii fata suprema Gothana, locoque inter curiae sacrorum
summae proceres; cui aliquandiu, cum praeses fatis concessisset, huius
nomine, & dignitate non sine laude, & negotiorum ecclesiasticorum suc-
cessu praefuit. Fretus BEATVS conscientia factorum pro symbolo usurpa-
vit illud Bernhardi: Nullum turbauit, discordes pacificaui, laesus susti-
nui

nui, nec mibi complacui: quod admirabile videtur, qui naturam munetis intuentur. Geri bona fide id vix posse videtur sine multorum offensione, nec stylo Myconiano oues recte pasci, nisi hirci compescantur. Sed, vere id de se esse professum BEATVM, idoneus testis praesto est, R. Georgius Hessus, illustris GYMNASII RECTOR, laborum socius, vitae, & factorum spectator pene quotidianus, aestimator sincerus, laudatorque religiosus, utpote qui pium parentandi officium Gottero suo praestare statuit: in quo tribuendo tam parcus erat, ut collegae suo, Rumpelio, pleraque expedienda relinquenter, quoties huius generis officia publicam poscebant testificationem. At vero ut Gotteriana virtutis memoria integra posteritati proderetur, annis, & laboribus scholasticis fessas ingenii vires excitat, & copiose dicendas, decantandasque per vices coram ILLVSTRI panegyri viri BEATI laudes Latino, vernaculoque sermone instituit. Liceat ipsis Hessi verbis insigniora BEATI elogia hac tabula exhibere! *Sicut ceteris maior erat, & tenebat decus, quo contingere splendidius homini theologo vix potest: ita ne alii ad fortē redigerentur viliorem, quantum in ipso erat, cauebat studiose.* Qualis salutantibus apparuerit, Hessus ita describit: *nunquam inclusus, obuius semper, & ulero occurrens, mira facilitate omnibus responsa dans: idque non molestiam, aut afflictionem; sed aliquam voluptatis suae partem putans.* Non ideo diminutam ipsius, & muneric autoritatem; sed hanc in tanta morum facilitate sartam, teatamque mansisse, diserte his verbis testatur: *tanto quemque coli, & suspici magis, quo carior ipse, amiciorque Deo aestimetur.* Certe mihi puero venerandum videbatur Gotteri nomen, cum eius opera, & studio emendatus, & veteris pietatis studiosis commendatus Kempisi libellus de Christo imitando in manus meas incideret. Talis perpetua mentis agitatio, & custodiae vitae integrae, & a prava cupiditate domina intactae talem praestabat Gotterum, qualem Hessus fuisse notat: *scholae corpus viuido, vegetoque spiritu animauit, praecceptorum dignitatem contra scholastici nominis hostes asseruit: quis Gotterum unquam, siue concionaret in templo, siue doceret in schola, haerere, & frigescere aduertit?* Et quamquam coniecto mature in actum rerum patriae salutarium otium non superesset ad meditanda ingenii, litterariaeque industriae monumenta; nec cordi esset adeo scriptis inclarescere, & volitare per ora virorum; praeter Kempisianum libellum ab ingenio, & manu eius sunt plura publico nomine edita, atque inter haec praecipue sermonum sacrorum ad populum habendorum typi, quibus rudibus consulere, & rerum recte agendarum, accommodataeque ad popularem captum, & pietatis usum dicendi rationem maluit praescribere, quam pati, ut cum auditorum damno in fungendo sacro munere haererent, suaque infirmitia conflectarentur imperiti. Spectatum hic est, quid

ex

ex Stahsiana schola non minus, quam Gerhardina, & Glassiana, ad sacros usus
afferre B. Gotterus, & quam bene docere potuerit doctores ipsos, qui dia-
dicerat bene distinguere. Intelligi hinc, credo, quam commemoratione tali-
um exemplorum accendere possit recta iuuentutis studia, & prouocare, con-
firmareque pium propositum in apparatu sacri munieris mature destinandi,
& persequendi, quae publice salutaria sunt, exutiendi sensum profa-
num, a sanctiore litteratura abhorrentem, nec non abiiciendi falsum iudi-
cium, quo impediti credunt falcem in alienam messem mitti, si ciuilis pru-
dentiae, & iuris studiosi sacra studia tractent impensus, vel futuri theologi,
& clerici attingant iuris, & aliarum artium disciplinas. Glassius, & Gotte-
rus aliquandiu ex instituto iuris studio addicti fuerunt; nec Balthasarem
Gualtherum expertem eius fuisse, perscripta ab eo curatissime Hackelman-
ni, summi ICti, memoria abunde docet. Qui autem cum eo comparatur,
Michaelem Waltherum medicinam initio tractasse, constat. Ita minus hal-
lucinantur theologi, & clerici viri in distinguendis ciuibus, Christianisque
officiis, cauentque facilius eorum perturbationem: vnde graues reipublicae,
et Christianae offensiones existere, constat. Cum in fatis esset, vt SAXO-
NICI sanguinis decus, PIVS ERNESTVS, rem euangelicam, variis insidiis, &
discriminibus conflictatam, vindicaret, ornaretque, talibus opus habuit admi-
nistris. Quorum studia, merita, & fata dum publice commemorabunt de-
clamatores in tabulae fronte nominati, vt conatibus alumnorum faueant, &
frequentes ad audiendum adsint rectiorum studiorum fautores, diuinumque
munus praedicent, quo ista tria lumina patriae, vniuersaeque ecclesiae
euangelicae exoptassime data sunt, per solennia lustrationis initia
etiam atque etiam rogantur. P. P. IV. KAL. AVGUSTI

cl^o IcccXXV.

Nebst denen im Schul-Iibel-Programmate allbereit gemeldeten Gedächtniss-Pfennigen,
welche der Kayserl. und Fürstl. Sächs. privilegierte Medailleur, Herr Christian VVermuth, aus-
zufertigen übernommen, sind bey demselben zu finden SRI FRIDERICI, & SRÆ MAGDALE-
NAE AVGVSTAE Brustbilder mit 2. verschiedenen Reversen, jede 2. Lot schwer, in Silber vor
2 th. in Engl. Zinn vor 8 gr. Eine andere Schul-Iibel-Medaille, den Heyland vorstellend, mit der
Überschrift: Meos nosco, meque noscunt mei, u. Unterschrift: GOPHAE MICONIVS QVOD
TENTAT, NITSCHIVS VRGET, mit 2 Reversen von curieusen Inventionen, in Silber vor 8 gr.
in Engl. Zinn vor 2 gr. und die letzte auf gegenwärtigen Actum fertigte, alle Superintendenten,
als Gymnasii Ephoros, und Theologiae Professores vorstellend mit folgendem Verse:
GVALTHER, GLASS, GOTTER, TRIBECHOVVS, FERGIVS, ET NITSCH
ORNANT GOTHANVM LVMINA CLARA CHORVM.

auf dem Revers die Beförderer:

PRIMVM IAN CASIMIR', MEDIOS ERNESTVS ADOPTAT
QVATTVR; VLTIMVS AT FRIDRICIANVS ERAT.

im Gold auf 3 Ducaten vor 9 th. in Silber vor 16 gr. in Kupffer vor 4 gr. in Zinn vor 2 gr.

— (o) —